Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sua faciunt: ut videantur ab hominibus. Dilatant enim filacte-
ria sua, et magnificant fimbrias. Amant autem primos re-
cubitus in cenis, et primas kathedras in synagogis, et salu-
tationes in foro, et vocari ab hominibus rabbi. Vos autem nolite
vocari rabbi. Unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres
estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram. Unus est enim pater
vester qui in celis est. Nec vocemini magistri, quia magister
vester unus est christus. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui
autem se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit
exaltabitur. Feria iiii. l. Hester.
In diebus illis. Oravit hester ad dominum dicens. Domine domine rex
omnipotens, in dicione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tue
resistere voluntati. Si decreveris salvare nos, continuo
liberabimur. Tu enim domine fecisti celum et terram, et quicquid celi
ambitu continetur. Tu es dominus omnium, et non est qui resistat
voluntati tue. Et nunc domine rex regum deus abraham miserere
populo tuo, quia volunt nos inimici nostri perdere, et heredita-
tem tuam delere. Ne despicias partem tuam quam redemisti
tibi ex egypto. Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et
funiculo hereditatis tue, et converte luctum nostrum in gaudi-
um, ut viventes laudemus nomen tuum. Et ne perdas ora
canentium te domine deus noster. Secundum Matheum.
In illo tempore. Ascendens ihesus ierosolimam, assumpsit duodecim disci-
pulos secreto, et ait illis. Ecce ascendimus ierosolimam, et filius
hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemp-
nabunt eum morte. Et tradent eum gentibus ad deludendum
et flagellandum et crucifigendum, et tercia die resurget.
Tunc accessit ad eum mater filiorum zebedei cum filiis suis,
adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid
vis? Ait illi. Dic ut sedeant hii duo filii mei, unus ad
dexteram tuam et alius ad sinistram in regno tuo. Respon-